(a) Opinio maior veritate.

O Cæcas hominum mentes, & inania veri
Pectora! quid recta cupimus ratione, fugæue
Quis modus? vnde auidæ culpata licentia mentis?
Et labor infœlix, & inanis fabula vitæ?
Vota modum superant, animo grauiora timemus
Quàm patimur, sensusque ipsos metus acriùs vrit
Quàm dolor, optati frustra est spes magna laboris,
Deceptæque preces paruis mens ægra fatiscit
Casibus, & rebus nimiùm sufflamur amicis.
Nulla animi requies, nusquam pudor, aut modus, aut lex.
Insani affectus, & rara modestia voti.
Fallimur ad veri faciem, nocituraque magnis
Thura rogis, tristesque aris incendimus ignes:
Mox mortem, & vacui regnum trepidamus Auerni.
Quid mors est aliud, nisi meta nouissima vitæ,
Pax animi, sopor æternus, sedesque quietis?
Hanc tamen, heu miseri, fugimus, turpemque senectam
Optamus, morbosque diu toleramus inertes,
Aut probrum, & læsæ damnum immedicabile famæ.
Nec minor ille furor, viridis qui prima iuuentæ
Tempora, natiuumque decus, genijque vigorem
Euigilat studijs totósque impendere soles
Nititur, & steriles chartis transmittere noctes.
Scilicet vt tarda cineres ingrata sequatur
Fama tuba, & rari merces non magna laboris,
Nomen inane Sophi, durusque in imagine macra
Archetypos inter media statuaris in arce.
Intereà miseris tacito pede defluit ætas,
Labuntur dulces anni, & permissa iuuentæ
Gaudia, & incautos fugit illibata voluptas.
Hinc morbi excipiunt, seséque inopina senectus
Præcipitat, tristique subit mors atra paratu.
O malè quæsitæ laudes, ridendáque famæ
Ambitio, & vani miseranda insania voti!
Is quoque, quem turpi miserum damnauit amore
Cynthia, & infamem iussit seruire furorem,
Crimen amat dominæ, fœdasque in corpore mendas
Dissimulat, purgatque super, vitiumque relatu
Corrigit in laudem, verbisque inuoluit honestis.
Ille quidem fictos cultus, medicataque miris
Ora, genasque modis, pulchraque sub ægide fœdos
Obseruat vultus, omnique in corpore næuo
Turpius ingenium, vitium tamen omne puellis
Cæcutiens ignoscit amor, captiuaque blandè
Pectora perpetuis premit imperiosus habenis.
Non rarum incautæ crimen videt ecce maritæ
Infælix coniunx, violatáque sacra cubilis
Senserat, & toto passim vestigia lecto
Senserat, atque oculis multum indignantibus hæsit:
Mox tamen hæc vidisse negat, lachrimisque coactis
Flectitur, & sensus demens incusat iniquos.
At quem fastosæ despexit ianua mæchæ,
Voluitur ad postes humilis, foribúsque superbis,
Supplicat, & surdum limen malesanus adorat.
Fœmina quæ tanti? graue & illætabile munus,
Igne datum contra, raptisque ex æthere flammis
Ira Iouis, prauum natura, ac debile corpus,
Nequitiæque capax, solaque libidine forte.
Ergo operæprecium totos distendere rictus
Democriti, longosque diu ridere cachinnos,
Aut flere æternos oculis humentibus imbres.
Nil veri solidique manet, rapit auius omnes
Error, & humanas moderatur opinio mentes.

(b) Ver, anni tempus præstantissimum.

PRima data est olim sanctis mortalibus ætas
Aurea, degeneri nondum vitiata metallo,
Æternus cui veris honos, semperque virentes
Arboribus frondes, lætoque in gramine flores
Perpetui, & dulces natiui ruris odores.
Tunc & dignati nostras bona numina terras
Incolere, & pariter socios habitare recessus,
Indigitesque Dei sæta tellure creati.
Improba sed postquam plebes, vulgusque prophanum
Expulerant diuos orbi, terrasque nocentes
Vltima damnârat virgo, tum denique tristis
Cœpit Hyems, nudumque gelu spoliauerat annum,
Iratoque grauis latrauit Syrius astro.
Formosus perit ille decor, mutatáque vitæ
Gaudia, & attonitum Phœbus malè temperat orbem.
Illinc Erigones sudat canis, & labor ardet
Herculeus, nimijque æstus, hinc improba vincunt
Frigora, & ignauæ riget inclementia brumæ.
Parua tamen nobis veteris vestigia vitæ
Ver præbet, placidi pars indulgentior anni.
Talis erat quondam primis habitata colonis
Temperies: sic sponte sua, non iussa virebant
Omnia, & Elysijs etiamnum ea sæcula campis.
Iam noua formosi laxatur gloria veris,
Pulcher & aspectus rerum, viret vndique tellus,
Nusquàm nuda comas arbor, stat gramine multo
Diues humus, pictique alternant vndique flores:
Augetur cœli decus, & iucundior aër
Tranquillum spirat, Zephyroque afflata tepenti
Prata benigna iacent, virides atque omnis in herbas
Surgit humus, varióque solum discrimine signat:
Natiuus blanditur honos, luxúque carentes
Delitiæ, viuóque animantur prata colore.
Iam puer Idalius regnat cum matre Dione,
Atque pharetrati fratres, gens mollis amore:
Ipse bonus terram fœcundo rore maritat
Iupiter, & dulci descendit plurimus imbre.
Iam volucres, pecudésque ipsas, & dura ferarum
Corda relaxat amor, placidóque per omnia sæuit
Imperio, & socio docet emansuescere lecto.
Crescunt in venerem plantæ, fit fertilis arbor,
Spemque suam grauidas olim promittit aristas
Fœtus ager, ditatque auidis rata vota colonis.
Quin & corporibus nostris clementior aura
Influit, & venas blandè demulcet hiantes,
Integrátque bonum vitalis sanguinis haustum,
Per sensus, corpúsque micat vis enthea Veris,
Humorésque malos mouet, & damnosa recludit
Otia morborum, tectúmque examinat hostem.
Inde eadem virtus totas operata medullas,
In mores animumque fluit, vitamque seueram
Mitigat, & molli cogit mitescere cultu.
Magne parens florum, placidi monstrator honesti,
Sæcula qui primæ reddis fœlicia vitæ,
Nobile ver, multum votis & vbique petite,
Sæpe redi, lentúsque mane: tibi vellere toto
Concedet Phryxi ductor, cœlúmque remittet
Cancer, & irati cunctabitur ira Leonis.
En tibi floriferi genitabilis aura fauoni
Spirat odoriferos fructus, cœlúmque renidet
Blandius assurgens, dulcique inuitat amictu.
Te vitæ melioris opes, te terra dehiscens
Expectat, grandique manet natura paratu.

H. Hawkins.